

suum et approbationem Pseudeuangelicis primitivae Ecclesiae Patres, quoties solius Christi pro peccatis nostris satisfactionem agnoscunt, nec ullam aliam pro peccatis satisfactionem dari agnoscunt, quemadmodum Augustinus Lib. VII. de Civ. DEI C. XXXI. passione Christi nos ab omnibus peccatis mundari et Lib. IV. de Trinit, C. XIII. Hoc uno verissimo Sacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum est, purgari, aboleri, extinguere asserit. Conf. Apoc. XIV, 13. Luc. XVI, 20. seqq. Num. XVI, 30. Eza. LVII, 2. Ioh. V, 24. Phil. I, 23. Contra Pontificios et quosdam Recentiores, §. XXVI.

Porism. VI. *In Missa pontificia verum et proprie dictum offerri sacrificium incruentum, vivis pariter et mortuis profuturum, falso nec citra manifestam absurditatis notam asseritur. Nam in textu expresse sanguis requiritur ad deletionem peccatorum, non secus ac Ebr. IX, 22. Scriptura etiam non aliam agnoscit corporis Christi oblationem, quam cruentam, cum igitur Christus non nisi semel offerendus fuit Ebr. VII, 27. idque nec sine sanguinis effusione et mortis interuentu. Ebr. IX, 12. 15. In Missa vero quotidie offeruntur sine ulla sanguinis effusione et citra mortis interuentum. Porro Christus unica corporis sui oblatione omnia peccata expiavit. ψ. 28. In Missa autem quotidie expiare dicuntur peccata. Sponte sua consequitur, eam cum actione et institutione Christi nihil habere commercii.*

CONCLUSIO.

Singula haec non solum latius potuissent deduci, sed et plura Porismata superaddi, si modo temporis pariter et plagularum angustia impraesentiarum id fuisset permittitur. Interea, quae hactenus circa oraculum hoc Iohanneum notari necessaria duxi, Benevolum Lectorem aequi bonique consulturum fore, non tam spero, quam prorsus confido, a quo etiam benevolam meorum conatum interpretationem mihi (qui non quae volui, sed quae potui, praestiti,) promitto, et ut meae tenuitati meisque studiis ex animo favere pergat, omnibus votis exoro. Ceterum DEO omnium bonorum fonti, quas possum, repono grates pro meritis et beneficiis huc dum in me collatis, eius
Laudis et Gloriam nullus unquam a me etiam futurus est

F I N I S.

Coll. diss. A. 214, misc. 59. clt-d6 - 003337